

1183 in Steinvelt ad conversionem veneris. In hoc enim confitebuntur Domino misericordiae eius, qui miris modis predestinatos suos vocat. Cum esset ipse in Colonia canonicus et custos maioris ecclesiae, vir dives et delicatus, quadam nocte per somnium perturbabat fratres suos ^{con} canonicos tamquam in gyro considerare seque in medio eorum, cumque ecce adstitit ante eos quidam horribilis aspectus, qui de virga, quam manu gerebat, percussit primum in capite, dein alterum, tertio tertium, et ita singillatim omnes hinc et inde, a dextris eius et a sinistris; postremo cum vellet percutere et istum, declinavit ictum, et sic evigilavit. Quam visionem secuta est mors eorum, et omnes in brevi ex hac luce sunt substracti, eo videlicet ordine, quo in visione fuerant percussi. Quod ille videns et mori timens fugit tamquam a facie unicornis et confugit in Steinvelt ad portum monasterii conversatus ibi iuste atque regulariter usque in diem, quo assumptus est in abbatiam. Sane idem Gezo erat vir solius probitatis et industriae, providens dispensator tam in temporalibus quam in spiritualibus, magnus zelator disciplinae, cuius substitutione viget adhuc et regitur hodie Tragoviensis ecclesia. Ita memoria eius in benedictione est, cum post mortem Ecclesi. 45, 1